



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,  
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Regio Mavri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11473**



*Rex Geiloli Maurus honorificè de Alfonsi exitu loquitur.*

*Percussores Alfonsi, cum propinquis diuina ultione consumpti.*

diffimus. Eius viri mors ipsis quoque barbaris regibus dolori fuit. magna enim erat apud omnes nomen eius in admiratione. Regem quidem Geiloli Maurum, gratiamque Christianorum aduersarium, de Alfonsi exitu atque animi fortitudine verbis honorificis disserentem, ad eos qui aderant inter cætera ferunt dixisse: Quid simile nostri Cacitii? Nec verò Dominus tam iniustam necem ne in hoc quidem seculo inultam reliquit. quippe ab Iris insula præfecto ac magistratibus pro certo cognitum est, paucis diebus omnes non modò parricidas illos, sed etiam parricidatum propinquos vario ac miserabili mortis genere periisse. namque alii fœdissimis roto corpore pustulis enascentibus paulatim excoriati horribiliter vlulantes igne sacro consumpti sunt: alii tormentis in bello discerpti: denique is etiam, qui abreptum Alfonsi vendiderat calicem, membris mirandum in modum intumescens, vitam finit: quos aiunt, sublati ad sydera manibus, tum denique diuinum auxilium supplices implorasse.

## REGIO MAURI.

**V**ltra Ternatem leucas 60, regio Mauri cernitur diuisa bifariam; altera pars in continenti est, & Morotia dicitur, octo Christianorum loca complectens: altera Morotai nominatur, constatque duabus insulis, quarum in vna minore vici Christianorum tres anno post Christum natum 1552, in altera maiore, octodecim visebantur. Christianorum porrò capitum numerus erat quinque & triginta millium: qui ex eo tempore maiorem in modum multiplicatus est. anno quippe 1563. Christianorum vici sex & triginta fuisse dicuntur, & in iis aliqui familiarum ferme octingentarum, anno verò 66, ad septem circiter & quadraginta: qui nullos habent pastores magistro sive, nisi è Societate, cuius in ea prouincia non sine magnis assiduisque laboribus atque periculis in summa egestate versatur industria.

## AMBOINI IN SVLÆ.

**A**D Maluci prouinciã Amboini quoque terra locuti Mauri pertinet, abestque Ternate leucas 80. Malaca autem (ex quo loco nauigantibus Malucarum insularum prima Amboinus occurrit) trecentum & quinquaginta. Christianorum pagi erant in ea septem dumtaxat anno 1545, cum Franciscus Xaverius eò se contulit: Sociorum deinde opera factum est, vt anno 1562 plus triginta numer-

*ANNO 1552. Christianorum vici 35. millia.*

*ANNO 1566. Christianorum vici 47.*